

73. *Et cum matrimonio commissum a laicis.* — Si vero incestus cum matrimonio, seu incestuosas contrahendo nuptias committitur, incestuosi ipso facto sunt excommunicati, Clem. un. *de Consang. et affinitat.* et non possunt amplius cum alia persona matrimonium licite contrahere, nisi ignoranter contraxerint, can. *Si propinquam*, 4, cau. 35, q. 2.

74. *Clericus incestum committens deponitur.* — Resp. VI. Clericus incestum committens deponitur, et beneficio privatur. Farinacius, *Prax. criminal.* q. 149, n. 33; Clarus, § *Incestus*; Diaz, *Pract. crimin.* can. 7. *Incestus*, cap. LXXXVIII, n. 3; Pirhing, h. t. n. 66, arg. can. *Si quis*, 10, et seqq. dist. 81, ubi clericus adulterium committens deponi jubetur; ergo etiam incestum committens; tum quia incestus majus est delictum, quam adulterium, cit. can. *Si adulterium*, 11, cau. 32, q. 7; tum quia incestus saltem tanta, si non majori poena castigatur, quam adulterium, per jura n. 69 citata.

75. *Sicut et si peccatum cognata spirituali, vel filia confessionis.* — Porro licet juxta dicta n. 67, peccatum carnale cum cognata spirituali commissum, verus incestus non sit, nec poenas illius inducat; tamen si sacerdos peccat cum filia spirituali, quam e baptismo levavit, vel quam tenuit in confirmatione, vel si commatrem, sive illius matrem cognoscit, deponendus est: sicut et qui filiam spiritualem confessionis carnaliter cognoscit. Menochius, *de Arbitr.* casu 502, n. 27, et seqq.; Farinacius, loc. cit. n. 53, et seqq.; Diaz, loc. cit. cap. LXXXVI, n. 2 et 4, arg. can. *Omnes*, 8, et can. *Si quis*, 9, cau. 30, quæst. 1, ibi: « Si quis sacerdos cum filia spirituali fornicatus fuerit, sciat, se grave adulterium commisisse, etc. Idcirco qui malum exemplum dedit hominibus, ab omni officio deponatur, etc. et ad monasterium vadat, ibique cunctis diebus vitæ suæ Deo serviat. » Item can. *Non debet*, 10, ead. cau. et quæst. ibi: « Non debet episcopus aut presbyter commisceri cum mulieribus, quæ ei sua fuerint confessa peccata: si forte (quod absit) hoc contigerit, sic se poeniteat, quomodo de filia spirituali: de qua statim supra. »

76. *Sacrilegium inproprie, quid?* — Quæritur V. Quid sit, et quibus poenis subiaceat sacrilegium? Resp. I. Loquendo pro foro interno, et sacramentali, est omnis coitus cum persona Deo dicata per votum continentie sive simplex, sive solemne vi professionis religiosæ, aut sacri ordinis factum,

adeo, ut non tantum clericus, vel religiosus sed etiam laicus a voto liber peccans cum soluta aliqua voto simplici castitatis obstrictus ut proin hæc circumstantia, tanquam speciem mutans, necessario explicari debeat in confessionali. Prout habet communis theologorum, apud quos vide.

77. *Proprie loquendo in ordine ad forum externum est coitus cum moniali.* — Resp. II. Loquendo pro foro externo, et contentioso, ac in ordine ad poenas inferendas, sacrilegium est copula carnalis a clerico, vel laico commissa cum moniali. Clarus § *Fornicatio*, Farinacius, *Pract. crimin.*, q. 146, num. 5. Pirhing, h. t. num. 68, et plures alii a Farinacius relati, per jura num. sequent. citanda.

78. *Pœna sacrilegium committentis de jure civili.* — Resp. III. De jure civili si quis sacrilegium cum moniali committit, vel matrimonium cum ea contrahere attentaverit, poena mortis punitur, et bona delinquentis jubentur applicari monasterio, in quo monialis degebat. Menoch., *de Arbitr. jud.*, casu 389, num. 27. Barbosa, in c. *sicut*, 2, *de Privileg.*, num. 3. *Novell.* 123, cap. XIII, et l. *Si quis* 5, c. *de Episc. et cleric.* concordat can. *Si quis rapuerit* 30, cau. 27, q. 1, et can. *Si quis non dicat*, 3, cau. 39, q. 2.

79. Notat tamen Farinacius cit. q. 146, num. 11, quod, etsi poena capitis adhuc procedat contra sacrilegium cum moniali, tamen bona illius non monasterio monialis, sed delinquentis hæredibus applicari consueverint, juncta *Authent. Bona damnatorum*, c. *de bonis proscript.* nisi raptus, aut violentia in monialem intervenisset.

80. *Pœna contra sacrilegium jure canonico statuta.* — Resp. IV. De jure canonico sacrilegium cum moniali committens laicus excommunicatur: clericus vero non solum beneficio privatur, sed etiam ab ordine depositus in monasterium ad poenitentiam ibidem agendam detrudi jubetur. Menochius *de Arbitr. judic.* casu 289, num. 24. Farinacius, loc. cit. num. 4 et 26, can. *Si quis episcopus*, 6, et can. *Si quæ monacharum*, 28, caus. 27, q. 1.

81. Monialis vero, quæ ad sacrilegium libere consentit, ad agendam poenitentiam in arctius monasterium detrudi jubetur cit. can. *Si quæ monacharum*, 28, et can. *Si quis rapuerit*, 30, caus. 27, q. 1, juncta *Novell.* 123, cap. XLIII, vel quod magis convenit, ad perpetuos carceres sui monasterii detrudenda est, c. *Impudicas*, 11, ead. cau. et q. Meno-

chius, loc. cit. num. 26. Farinacius, loc. cit. num. 12.

82. *Sodomia unde dicta?* — Quæritur VI. Quid sit, et quibus poenis subiaceat sodomia? Ante responsum notandum, sodomiam a Sodoma civitate nomen habere, utpote in qua nefandum hoc vitium multum grassabatur, adeo, ut propter illud præcipue tota civitas Sodoma igne cœlitus delapso fuerit concremata. Gen., cap. XIX, v. 3, H. N.

83. *Proprie sumpta, quid?* — Resp. I. Sodomia proprie est coitus carnalis non servata debita diversitate sexus, dum nempe masculus cum masculo, aut femina cum femina coit; prout cum D. Thoma, 2, 2, quæst. 154, art. 1, tradit communis theologorum, arg. c. *Usus*, 14, caus. 32, q. 7.

84. *Exquisitis poenis puniri jubetur.* — Resp. II. Sicut olim de jure divino sodomia poenam mortis secum traxerit, Levitici, cap. XX, v. 13, ibi: Qui dormierit cum masculo, coitu femineo, uterque operatus est nefas, morte moriatur; ita etiam de jure civili sodomia proprie tali ultimo supplicio punitur, § *Item lex Julia 4. Institut. De publicis judiciis.* Imo imperatores Constantinus et Constans jubent, insurgere leges, armari jura, gladio ultore, qui sunt, vel futuri sunt rei, et l. *Cum vir.*, 31. C. *ad Leg. Jul. de adulter.*

85. *Et quidem etiam poena mortis, ac conematione.* — Hinc consuetudo obtinuit, ut sodomie rei, vel vivi, vel poena mortis jam punitorum cadavera igne concrementur. Farinacius, quæst. 148, n. 7. Clarus, § *Sodomia*, n. 4, quam comburendi consuetudinem observari mandavit Carolus V, *Ordinat. criminal.*, art. 116.

86. *Trahit insuper secum poenam infamie.* — Præterea sodomie ipso jure sunt infames etiam ante accusationem, et condemnationem, cit. l. *Cum vir.*, 31. C. *ad Leg. Jul. de adulter.* juncta Glossa ibidem v. *Infames.*

87. *Et privationem bonorum.* — Insuper ipso jure privantur dominio rerum suarum, quæ fisco addicuntur, c. *Cum secundum*, 19, *de hæret.* in 6, et Glossa ibidem v. *Perdant.* Clarus, § *Sodomia*, num. 6. Menochius, *de Arbitr. judic.* casu 286, num. 19, quam tamen poenam non ubique acceptam esse, testatur Clarus, loc. cit.

88. *Quas poenas non incurrit sodomiam inproprie dictam committens peccando cum muliere in vase præpostero.* — Dicitur autem notanter in conclusione n. 84, posita sodomia proprie talis; quamvis enim etiam inproprie

talem, qua vir cum femina congregitur in vase præpostero, seu ano, præfatis poenis subiacere velint, et variis in locis practicari testentur Clarus, § *Sodomia*, num. 2. Menochius, *de Arbit. judic.* casu 286, 33, et seqq., tamen Sylvester, v. *Luxuria*, q. 1. Azorius, p. III, lib. III, cap. XX, q. 4, et alii probabilius docent, hanc imperfectam sodomiam non ordinariis, sed extraordinariis ac mitioribus subiacere poenis, arg. l. I, § 2, ff. *de Extraord. crim.*, ibi: Perfecto flagitio puniuntur capite. Ratio est, quia etsi ad peccatum sodomie merito reducatur, indeque tanquam species distincta in confessionali necessario explicari debeat; tamen quia saltem adest adhuc debita diversitas sexus, perfecta sodomia non est, ac præterea poenis ordinariis sodomie non subjecta. Præsertim cum in poenis benigniora amplecti deceat, per vulgaria.

89. *Pœna in jure canonico statuta contra sodomitam laicum.* — Resp. III. Poenæ criminis sodomie de jure canonico sunt sequentes. Et quidem primo laicus sodomiam committens imprimis jubetur excommunicari c. *Clerici*, 4, *de Excess. prælat.* ibi: Si laici excommunicationi subdantur, et a cœtu fidelium penitus fiant alieni. Secundo laicus sodomita est infamis, can. *Infamis*, 3, q. 7. Tertio potest ab eo uxor discedere sicut ab adultero, arg. can. *Omnes*, cau. 32, q. 7.

90. *Pœna contra sodomitam clericum.* — Clerici vero sodomiam committentis poena de jure communi canonico est, ut non tantum privetur beneficio, sed etiam a statu, et ordine clericali abjiciatur. cit. c. *Clerici*, 4, *de Excess. prælat.*, et ibi doctores.

91. *Bulla Pii V, contra sodomiam exercentes.* — Insuper contra nefandum crimen sodomie rigidam emanavit Bullam Pius V, quæ incipit *Horrendum*, estque 72, inter Constitutiones dicti Pontificis, in tom. II, Bullarii Cherub. sequentis tenoris.

**Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

« Horrendum illud scelus, quo pollutæ foedatæque civitates a tremendo Dei judicio conflagrarunt, acerbissimum nobis dolorem incutit, graviterque animum nostrum commovet, ut ad illud quantum potest comprimendum, studia nostra conferamus.

» § I. Sane Lateranensi concilio dignoscitur constitutum, ut quicumque clerici, illa

incontinentia, quæ contra naturam est, propter quam ira Dei venit in filios diffidentia, deprehensi fuerint laborare, a clero deiciantur, vel ad agendam in monasteriis poenitentiam detrudantur.

» § II. Verum ne tanti flagitii contagium impunitatis spe, quæ maxima peccandi illecebra est, fidentius invalescat, clericos hujus nefarii criminis reos, gravius ulciscendos deliberavimus, ut qui animæ interitum non horrescunt, hos certe, deterreat civilium legum vindex gladius sæcularis.

» § III. Itaque quod nos jam in ipso Pontificatus nostri principio hac de re decrevimus, plenius nunc fortiusque persequi intendentes, omnes et quoscunque presbyteros, et alios clericos sæculares, et regulares cujuscunque gradus, et dignitatis, tam dirum nefas exercentes omni privilegio clericali, omnique officio, dignitate et beneficio ecclesiastico præsentis canonis auctoritate privamus. Ita ut per judicem ecclesiasticum degradati, potestati sæculari tradantur, qui de eis illud item capiat supplicium, quod in laicos hoc in exitio devolutos, legitimis reperitur sanctionibus constitutum.

» Nulli ergo, etc.

» Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Domini 1568, tertio Calendas septemb. Pont. nostri anno 3. »

92. *Conditiones quædam requisitæ ad ejus obligationem.* — Notat tamen circa hanc Bullam Barbosa in *c. Clerici*, 4, de *Excess. prel.*, ad incurrendas pœnas præsertim degradationis requiri primo, ut clericus sæpius exercuerit sodomiam. Secundo, ut sit perfecta sodomia. Tertio, ut præcedat sententia condemnatoria, vel saltem declaratoria criminis. De quibus amplius vide apud Barbosam, loc. cit.

Cæterum quantæ malitiæ, et turpitudinis sit sodomia, vide amplius apud theologos. (ADNOTATIONES XXVII et XXVIII.)

## TITULUS XVII.

### De raptoribus, incendiariis, et violatoribus ecclesiarum.

1. *Ratio ordinis.* — Post crimina sexto præcepto adversa, pergit compilerator juris

canonici ad crimina septimo præcepto prohibita, quibus proximus læditur in bonis fortunæ, quod inter alios faciunt raptores incendiarii, violatores ecclesiarum, fores, usurarii, etc., de quibus in præsentibus, et subsequentibus rubricis agitur. Et quamvis in præsentibus rubricis sit etiam sermo de raptu mulierum, prout est species luxuriæ, nihilominus tamen, quia hic idem raptus etiam injuriam et injuriam tertii in se continet, de eodem non incongrue cum aliis peccatis septimo præcepto adversis hic tractatur. Hinc ponitur:

### § I.

#### DE RAPTO, AC RAPINA ET RAPTORIBUS, TAM PERSONARUM, QUAM RERUM.

2. *Raptus personæ, prout est species luxuriæ, quid?* — Quæritur I. Quid, et quibus pœnis sit subjectus raptus personæ, prout est species luxuriæ, et quid distinctum a raptu constituyente impedimentum matrimonii? Resp. I. Raptus est violenta abductio virginis, vel alterius honestæ femine solutæ vel ligatæ libidinis exercendæ gratia de loco in locum moraliter diversum. Ita in re communis, arg. l. un. *c. de Raptu virg.* Explicatur definitio.

3. *Debet fieri cum violentia.* — Dicitur primo violenta abductio; quia si puella sui juris, seu sub nullius amplius potestate, constituta libere consentiat, raptus non est, uti cum D. Thoma 2, 2, q. 154, art. 7. Sanchez, lib. VII, de *Matrim.*, disp. 12, num. 6, communiter tenent, tam theologi, quam canonistæ, arg. l. *Quo naufragium*, 3, § 5, ibi: Rapi autem sine vi non potest, et *c. Cum causa*, 6, h. t. ubi summarium sic habet: Raptus non dicitur, ubi volens abducitur.

4. Nec obstat, quod dicitur cit. l. un. de raptu virg. Huic pœnæ subjaceat, qui sive volentibus, sive nolentibus virginibus, sive aliis mulieribus tale facinus fuerit perpetratum; quia textus hic supponit feminam abductioni sententiam esse inductam vel minis, vel importunis et dolosis precibus, aut promissionibus vim quamdam importantibus, l. I, § 3, ff. de *Servo corrupt.* Guttierrez, can. quæst., lib. I, cap. xxxvii, num. 21 et alii. Quare, nisi puella ipsamet fateatur, se absque dolo, minis, aut importunis precibus libere consensisse abductioni, onus probandi incumbit raptori, prout cum Mascardo

probat Gonzalez in *c. fin. h. t.*, arg. cit., l. un. ibi: § 2. Quia hoc ipsum velle mulierum ab insidiis nequissimis hominis, qui meditatatur rapinam, inducitur; nisi etenim eam sollicitaverit, nisi odiosis artibus circumvenierit, non faciet eam velle, in tantum dedecus sese prodere.

5. *Circa virginem, vel aliam honestam feminam.* — Dicitur secundo virginis, vel alterius honestæ femine, quia abductio etiam violenta femine minus honeste viventis, v. g. meretricis notoriæ, raptus proprie et stricte loquendo non est, ac propterea nec ordinariæ, sed extraordinariæ duntaxat pœnæ, arbitrio judicis infligendæ subjacet. Clarus, § *Raptus*, n. 5. Farinacius, q. 245. a n. 135. Sanchez, lib. VII, de *Matrim.*, disp. 12, n. 23. Covarruvias, *Variar. resolut.*, lib. III, cap. xiv, numer. 2, in fine, arg. l. un. *c. de Raptu virg.*

6. *De loco in locum moraliter diversum.* — Dicitur tertio de loco in locum moraliter diversum; quia si honesta puella vel femina non saltem ab una domo, v. g. paterna ad aliam, sed ab uno duntaxat cubiculo ad aliud ejusdem domus, vel a loco patenti ad secretum, occultandæ libidinis causa rapitur, proprie raptus non est, sed stuprum præcise præsertim, si ita abducta violenter opprimitur. Farinacius, *Prax. crim.*, cit. q. 145, n. 74. Sanchez, loc. cit. n. 20. Clarus, § *Raptus*, num. 1, dicens esse omnium, can. *Lex illa*, 3, *cau.* 36, q. 1.

7. *Libidinis exercendæ gratia.* — Dicitur quarto libidinis exercendæ gratia. Nam si ex alia, quacunque causa fiat, raptus proprie loquendo non est, nec ordinariæ pœnæ illius subjectus, ut cum Claro § *Raptus* n. 1, bene docent Sanchez lib. VII, de *Matrim.*, nu. 17. Decius *Consil.* 234, n. 8, et alii. Notandum tamen cum Sanchez, et Claro loc. cit. quod si quis feminam libidinis causa rapiat, pœnæ ordinariæ subjaceat, etsi postea ab explenda libidine impediatur.

8. *Pœna raptus de jure civili.* — Resp. II. Pœnæ raptus proprie dicti a jure civili sunt sequentes, videlicet pœna mortis, adeo ut raptor, et omnes ad raptum opem aliquam ferentes in ipso raptu deprehensi, a parente, marito, cognatis aut propiis, quis raptæ impune possint occidi: postea vero legitime convicti ultimo supplicio affici, non obstante quacunque reorum appellatione. Ulterius omnia bona tam mobilia, quam immobilia raptoris, et præbentium eidem opem ad

raptum, amittuntur, et raptæ addicuntur. Ita expresse statutum habetur sæpe cit. l. un. *c. de Raptu virg.* ad quam utpote valde longam, brevitatis causa lectorem remittimus.

9. *Et de jure canonico statutæ.* — Resp. III. Raptus proprie dicti, prout est species luxuriæ admixtam injuriam habens, pœnæ jure canonico statutæ sunt, quod si laicus sit raptor, excommunicetur; si vero clericus, a gradu, et ordine clericali deiciatur. can. 1, et seqq. *cau.* 36, q. 1, et *c. Si quis*, 4, de *Purgat. canon.*

10. *De raptu personæ in ordine ad contrahendum matrimonium. Remissive.* — Referunt huc aliqui etiam pœnas a concilio Tridentino Sess. 24, de *Reformat. Matrim.* cap. vi, statutæ contra Raptores. Verum hæc pœnæ non contra hunc solius libidinis causa, factum raptum videntur statutæ, sed contra illum, qui fit fine et intentione raptam ducendi in matrimonium, ut cum aliis probabiliter docent Sanchez lib. VII, de *Matrim.* Disp. 13, n. 3. Layman, Guttierrez, et alii; quod idem etiam nos docuimus lib. IV, tit. I, § X, n. 377, in quo § etiam reliqua de raptu ad contrahendum matrimonium facto tradidimus, ubi proin vide.

11. *Rapina rerum, quid?* — Quæritur II. Quid sit, et quibus pœnis subjaceat rapina, et raptor rerum? Resp. I. Quamvis rapina large loquendo sumatur pro omni illicita usurpatione rei alienæ sive occulte, sive manifeste facta, arg. can. *Si quis*, 10, *cau.* 14, q. 4, ibi: Si quis usuram acceperit, raptum fecit, et can. *Si quis*, 6, *cau.* q. 5, ibi: Si quid invenisti, et non reddidisti, rapuisti. Proprie tamen loquendo, rapina est rei alienæ mobilis injusta oblatio, per vim facta. Ita in re communis, et patebit declarando definitionis verba.

12. *Debet fieri circa rem alienam.* — Dicitur primo: rei alienæ; quia qui rem suam propriam, vel quam saltem putat esse suam, ab alio possessam aufert, rapinam proprie non committit, nec pœnas illius incurrit, sed illas, quæ l. *Si quis*, 7 *c. Unde vi decretæ* sunt in illos, qui propria auctoritate violenter auferunt res ab alio possessas.

13. *Debet fieri circa rem mobilem.* — Dicitur secundo: mobilis: quia res immobiles non auferri vel rapi, sed invadi dicuntur § 1, in fine Institut. de vi bonorum raptorum. Hinc invasionem patiens in bonis immobilibus non habet actionem vi bonorum